Tentamen inaugurale, de rachitide ... / [Cornelius Pyne].

Contributors

Pyne, Cornelius.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour et Smellie, 1785.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/utb9rhjp

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

42445/P

TENTAMEN INAUGURALE,

20

DE

RACHITIDE.

QUOD,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

CORNELIUS PYNE,

HIBERNUS,

Societ. Chem. Edin. Sodalis.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXV.

322291

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

Ex. PYNE, C.

TENTAMEN INAUGURALE,

DE

RACHITIDE.

DE morbi hujusce vetustate multum discrepuere auctores. *Glissonius*, qui primus de rachitide mentionem fecit, et plerique auctores, qui post illum de hoc morbo scripserunt, primum ortum fuisse anno 1630 asseruere; nec non, illustrissimus *Van Swieten* affirmat, mali incogniti novitatem impulisse hos medicos, qui una cum *Glissonio* morbum accurate depinxere, ut viribus conjunctis morbi indolem rimarentur, itaque optimam medendi methodum felicius detegere possent. Sed eruditissimus medicus *Zeviani*, in scriptis antiquorum symptomata morbi, vel separatim vel conjunctim sese exhibentia, enumerata invenit, et morbi vetustatem multis aliis argumentis

322291
WELLCOME LIBRARY INSTITUTE
[1785]

evincit; de variis quoque corporis diſtortionibus, viz. *tuberonibus*, *capitonibus*, *valgis*, *varis*, &c. rachitide fere ſemper originem deducentibus, ſaepe memoratur; et quomodo morbus non contagioſus ſubito ortus, tam brevi tempore tot ſtrages horrendas ederet, non tantum regione qua primum apparuit, ſed per totam fere Europam, vix concipere poſſum. Rationi igitur magis conſentanea eſt ſententia, quae morbum veteribus haud ignotum fuiſſe, ſed forſan rarius eveniſſe, dum cauſae, morbos qui ex debilitate pendent moventes, minus pollebant, et talem tempeſtatem, qualis ad hunc morbum gignendum plurimum confert, eo anno contigiſſe, quo primum medicorum attentionem occupaverat, ſuſpicatur.

CHARACTER.

Caput magnum, anterius maxime tumens, genicula tumida, coſtae depreſſae; abdomen tumidum, caetera marceſcentia *.

HISTORIA.

* Cullen. ſynopſ. noſ. meth.

HISTORIA.

Infantibus proprius eſt, nunquam connatus, ante menſem quintum rariſſime aggreditur, a menſe quinto ad anni ſecundi cum dimidio finem frequentiſſime, poſt hancce aetatis periodum fere nunquam ſupervenit.

Seſe primum prodit ignavia, motus praeſertim ambulationis averſatione, languore, muſculorum flacciditate, et corporis marcore, appetitu tamen non deficiente. Caput, ratione ad reliquum corpus habita, praeter naturam increſcit. Frons monſtroſe prominet; fontanella et ſuturae magis apertae aliquando fiunt; facies augeſcit et tumeſcit, et collum admodum gracileſcit.

Poſthac, oſſa afficiuntur, epiphyſes adaugentur, et nodi articulis, praecipue in carpis, oriuntur; hujuſcemodi tumores ſemet aſpectui exhibent, ubi coſtarum extremitates ſterno connectuntur; coſtae ipſae deprimuntur, pectus a lateribus anguſtius redditur, et ſternum in acumen protruditur. Oſſa nonnulla quoque incurvantur, tibia et fibula praecipue, ſaepe ſed paulo rarius ulna et radius; aliquando femur humeruſque. Quaedam ex his quaſi decurtata videntur; ſpina curva, brevior fit, et variis modis detorquetur.

Dentitio

Dentitio tarda et difficilis eſt, denteſque nigricantes vacillant.

Saepe ſub cute aqua diffunditur; ſi humor abſit, flaccida et pendula evadit cutis.

Appetitus ſub initio morbi ſemper valet, ſed progreſſu proſternitur; concoctio langueſcit; diarrhoea, interdum lienteria, prope finem accedit; atque per totum morbi decurſum abdomen turgeſcit et inflatur.

Animi facultates aliquando laeduntur, plerumque tamen ingenium praecox eſt, judiciumque mirum.

Pulſus, accedente morbo, tardeſcit, progrediente, citatur, necnon aliis pyrexiae ſymptomatibus morbus ſtipatur.

His ſymptomatibus, morbus ſaepe in annos perſtat, et augeſcere pergit, donec functiones omnes oeconomiae animalis turbentur, et aeger tandem fato ſuccumbat; ſaepius tamen hocce vitium ingraveſcere deſinit, et revaleſcit aeger; ſed oſſa, niſi morbus leniter ſeſe habuiſſet, per totam vitam informia manent.

Cadaveribus inſpectis, viſcera abdominis ſemper juſto majora reperiuntur. Cavitates abdominis, thoracis, et cerebri hydropicae; inteſtina flatu turgida; pulmones ſchirroſi vel ſuppurati; cerebrum plerumque flaccidum; venae jugulares praeternaturaliter amplae; oſſa mollia et

ſciſſilia;

ſciſſilia; humores ſemper tenues et ſolutae; partes carnoſae, tenerae, et decolores videntur, cadaverque totum rigiditate ſolita caret.

CAUSÆ REMOTÆ.

Pleraque, quae auctores adtulerunt de antecedentibus rachitidis, et praecipue de ſtatu parentum, quorum proles hoc morbo afficitur, judice celeberrimo *Culleno*, fundamento parum ſtabili nituntur; ſaepe enim, nulla affectione parentum exiſtente, nullo modo praeter ſolitum infantes alendi uſitato, quibus attribui poſſet, incipit morbus.

Quoniam vero pluribus ejuſdem familiae aliquando contingit, et nequaquam vi contagioſa ſeſe diſpergit, ſeminium rachiticum, interdum ad aliquam labem haereditariam referre fas eſt; et quum infantes nonnullos prae aliis, quibuſdam in locis, vel ex quadam tractatione, hoc morbo ſaepe laborare videmus; hae res, ſeu corpus rachitidi proclive reddendo, ſive malum excitando agunt, vix dubitare poſſumus. Hae igitur, quibus nomina cauſarum remotarum proprie ſunt indita, ſub duobus capitibus enumerari poſſint, ſcilicet,

I. Conditionibus

I. Conditionibus parentum quorum proles hoc morbo afficitur.

II. His quae infantem ipſum reſpiciunt.

1. Conditiones parentum quorum proles rachitide afficitur.

Quoniam hunc morbum ut plurimum a laxitate pendere liquet, veriſimillimum videtur, eum praecipue infeſtare liberos eorum qui ex aliqua cauſa debilitantur, conſtitutionibus laxis laborant, molliter vivunt, morbis praegreſſis vel ſenio exhauriuntur, perpetuis aquoſis potibus, ut thea, coffea, &c. corpus infirmant; hinc etiam infimae plebis infantes ſaepius rachitide exagitantur, quoniam penuria, victu parum apto eos uti, necnon frigidas humidas domunculas, non ſatis ab aëris injuriis hoſpites miſeros defendentes, habitare cogit. Sed haec praecipue ita ſe habent, ſi vitam nimis ſedentariam et luxurioſam degerit mater, ſi diaeta inſalubri, dum uterum geſſerit, uſa fuerit, ſi vires profluviis ſanguinis, fluore albo, vel aliis morbis ante conceptionem fractae fuerint. Morbum ſaepe originem ducere ex habitu matris ſcrophuloſa, Cullenus teſtatur.

Minime tamen, omni in exemplo, opportunitatem huicce morbo ad aliquam parentum craſin peculiarem referre poſſumus.

2. Quae

2. Quae infantem ipſum reſpiciunt.

Ex his, *lac* primam attentionem ſibi vindicat; quod, ſi ex ulla affectione nutricis, aliquam mutationem vel quantitate vel qualitate ſubierit, adeo ut infantis nutritioni parum idoneum evaderit, rachitidem inducere valet; et hoc praecipue a lacte valde aquoſo, vel copioſius vel diutius pro cibo adhibito, accidere poteſt. Si nutrix igitur cauſis ſupradictis infirmata, animi affectionibus obnoxia fiat, quae qualitatem lactis fere ſemper afficiunt, et praeſertim ſi alumnos rachiticos antea lactaverit vel pepererit, tunc res non amplius in dubio haeret, quin lacti jure vitium vertatur. Nutrices tamen hocce malum vix unquam excitare poſſe, nulla a parentibus opportunitate accepta, *Cullenus* celeb. putat.

Febres intermittentes autumnales, morbi acuti vel chronici, aſtheniam inducendo, corpora juniorum ad hunc morbum proclivia reddunt, et, hocce vitium potiſſimum poſt autumnales intermittentes accidere, *Sydenhamus* notat.

Scabies, impetigines, ulcera ſubito ſuppreſſa, valde nocuiſſe, teſtatur *Gliſſonius;* ita loquitur, ‘ ad haec, quod intem‘ peſtivam impetiginis aut ſcabiei ſuppreſſionem ſequatur, ‘ ut frequenter obſervavimus, quando rurſus erumpente

‘ ſcabie,

‘ ſcabie, atque pruritu excitato, indeque aucto in membris
‘ externis calore, tales pueros facile reſtitutos vidimus.’

Tempeſtatem frigidam et humidam, quippe perſpirationem ſupprimentem, fibraſque relaxantem, hunc morbum nonnunquam moviſſe, quidam credidere. Necnon *veſtimenta madida*, vel parum caute ſiccata, ab auctoribus incuſantur; hinc ratio reddi poteſt, quare rachitis, non tantum divitum aedes, ſed etiam pauperum tabernas, pulſet; hi enim, inopia gravati, nec cubicula calefacta, nec lintea bene exſiccata, infantibus praebere poſſunt.

Farinacea non fermentata, utpote cauſam hujus morbi remotam, auctores plerique culpant; ſed ubique per orbem terrarum infantes his farinaceis aluntur. Mea quidem fert opinio, cibum plus juſto tenuem vel aquoſum multum injuriae corpori efficere; nam, quoniam diaetam ſatis nutrientem miniſtrare nequeat, vix non aeque ac cauſae ſupra recenſitae effectus edat, adeo ut corpus laxum reddetur, craſis infirmabitur, morbus inducetur.

Ad ſummum, quaecunque corporis habitum vel laxant vel humectant, ad cauſas remotas morbi hujuſce jure reduci poſſint.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

Causa alicujus morbi proxima, ut refert auctor * perelegans, investiganda est, 1. A natura et viribus causarum remotarum praecognitis. 2. A diversis morbi symptomatibus inter se collatis, et ad unam simplicem causam severo ratiocinio ducentibus. 3. A remediis et perniciosis et salutaribus, durante morbo, applicatis. 4. A mortuorum sectione.

Quoniam igitur plus minusve aquae semper cute suffusae, cavitates corporis omnes hydropicas, et humores ante et post mortem tenues et aquosos invenimus; quoniam symptomata fere omnia ad hanc referre licet, et causae remotae tales sunt quales diathesin hydropicam inducere valent; denique, quoniam consilia medendi, remediis quae hanc evacuant, vel ejus in systemate accumulationi obstant, perficiuntur, aquam in corpore collectam esse causam proximam hujus morbi, vix non agnoscere possumus.

* Cl Home, princip. med.

In hydrope aquae effusionis causa, vel ad absorptionem imminutam vel ad exhalationem auctam referri solet; in rachitide, ut ex symptomatibus antecedentibus et causis remotis patet, totum systema atonia gravissima laborat; cor adeo debile micat, ut humores superabundantes nequaquam eliminari possunt. Hinc quoque magis confirmatur mea sententia, causam nempe rachitidis proximam consistere in nimia aquae copia in corpore congesta, ab arteriarum relaxatione originem ducente.

Hydrops et rachitis causas easdem agnoscunt, eidem curationi auscultant, nisi quod paullulum differentiae in remediis exhibendis exigat aetas infantilis; exinde hosce, hydropem nempe et rachitiden, esse morbos, si non ejusdem generis, saltem simillimae naturae, inferre liceat.

Causas symptomatum, ossium praecipue affectionum, quantum in me fuerit, nunc exponere pergam.

RATIO SYMPTOMATUM.

Ossium deformitates, viz. *mollities et incurvatio eorum, epiphysium protuberantiae*, &c. In aetate infantili ossa nondum

dum duritiem et firmitatem debitam acquisivere; cartilagines magis referunt, nec a natura partium mollium multum se dissimiliter habent. Hinc aqua largiter congesta ea pariter ac musculos afficere potest, eodem modo eorum fibras penetrat et distendit. Sed ossa, propter duritiem majorem, non aeque ac musculi, formam pristinam, aqua remota, recuperant; ossa enim informia denuo indurantur, et vita etiam ad longaevitatem protracta, nequaquam vestigia eruere potest, quae haec dirissima hospes relinquere solet.

Ossium epiphyses, quippe quae prae aliis partibus ossium cancellis locupletes, vi distendenti citius cedunt; hinc magnitudo adaucta, tuberositas.

Defectus materiei osseae a Culleno celeber. esse causa proxima rachitidis refertur; sed hic potius sequela videtur, nimiae fluidorum serositati tribuenda. Nec difficile erit conceptu, quomodo materies ossea, nimio humore aquoso circumambiente, ablui posset; si tempore eodem viscera chylopoietica debilitas opprimat, si cor et arterias atonia degravet, vix non ossium nutrimentum, et ex necessario particulae osseae, deficere possint. Sed ex his particulis pendent ossium firmitas et robur; his igitur deficientibus, ossa in vitium incidere, minus firma evadere, et tandem flexilitatem pati, necesse est. Hinc, cum corporis

pondus

pondus ossibus nondum consolidatis innitatur, pressae epiphyses prominere incipient, carpique prae aliis partibus affligi solent, quia pedibus ad ambulandum uti infantes nondum valentes, manuum conatu corpora sustinent.

Ex supra dictis intelligere possumus, cur hic morbus frequentius ante vitae biennium accidit. Si enim nulla signa rachitidis ante hoc tempus se manifestaverint, adventus morbi hujusce plerumque non amplius metuendus; quia ossa jam solida facta, corpore sustentando munera sua debita peragere, nec humoribus circumfluentibus tantopere affici possunt.

Capitis incrementum cum futuris amplis : Quia ossa in rachitide molliora, et interstitia membranacea inter ossa calvariae ampliora, vi encephali distendenti plus justo cedant.

Caput anterius tumens, praesertim fortasse ab inclinatione capitis spontanea in statu relaxato ; si quivis enim erecto corpore sedens obdormiscat, caput antrorsum labitur ; igiturque cerebri pondus nonnullum hic effectum habet.

Spina

Spina variis modis detorquetur, ex debilitate muſculorum corpori erecte ſuſtinendo imparium, hinc antice quandoque incurva fit; aliquando a cauſis fortuitis, thoracibus nempe foeminarum arctis, vel in idem latus continua inclinatione, in aliis directionibus incurvatur, et tunc, ut corporis pondus ſupra propriam baſin cadat, aeger muſculis alterius lateris naturaliter agit; hinc curvatura vix unquam ſimplex.

Sternum iu acumen protruſum; quia a pondere extremorum ſuperiorum thorax a lateribus comprimitur.

Abdomen tumidum; a viſceribus amplificatis, et ab aëre, aliiſque, quibus inteſtina, propter concoctionem pravam, inflantur.

Incrementum viſcerum abdominalium, oritur fortaſſis ex vaſorum atonia, quae vetat ne ſanguis ad extremitates ſuperficieſque corporis copia ſolita mittatur; hinc major quantitas partibus cordi vicinis accumulatur.

Et eandem fortaſſe rationem *faciei tumidae, et vaſorum capitis nimis diſtenſorum*, reddere licet.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS

Nisi in iis aetatis admodum tenerae, vel qui habitui parentum fracto donum funestum debuere, plerumque fausta, dummodo ab initio morbo obviam eatur.

Si ab aliis morbis praecedentibus proveniat rachitis, infelicius; si alimento parum apto, aliisve causis ei similibus, procedat, faustius judicium.

Si ante tempus dentitionis morbus accesserit, timendum, ne sub hujus periodi adventu aeger morbo succumbat; quoniam dentitio laboriosa nonnunquam symptomata gravissima secum affert, morbi ipsius symptomata ut plurimum adauget, mortemque etiam, teste *Glissonio*, saepissime minatur.

'Scabies et pustulae in cute pruritusve, huic morbo 'supervenientes, ad curam ejusdem multum conferunt *.'

METHODUS

* Glisson.

METHODUS MEDENDI.

In hydrope adultorum primum medendi consilium est, aquam per evacuantia directe removere; sed aetas tenera infantilis hoc consilium, utpote systema nimis acriter convellens, admittere non vult. Methodo igitur serositatem minuendi, qua vires minus frangentur, uti necesse est. Hanc, aquae absorptionem promovendo, itaque evacuationem ejusdem faciendo, aptissime exsequamur.

Consilia medendi igitur sunt,

I. Aquae absorptionem, et exinde evacuationem, promovere.

a. Emeticis mitibus.

b. Laxantibus.

c. Frictionibus.

d. Exercitatione.

II. Diathesin leucophlegmaticam corrigere.

1. Systema corroborantibus, ut,

a. Diaeta

a. Diaeta nutriente.

b. Veſtimentis calidis bene exſiccatis.

c. Aëre ſicco.

2. Medicamentis tonicis, ut

a. Amaris.

b. Aromaticis.

c. Cortice Peruviano.

d. Ferri praeparatis.

e. Cupri praeparatis.

III. Modis mechanicis deformitates emendare.

1. Multae, inquit Gregorius noſter ingenioſus, exinanitiones mirabiliter ſaepe proſunt, augendo actionem vaſorum imprimis abſorbentium, quae humores ubique exhalatos vel effuſos hauriunt, et in ſanguinem iterum deferunt; hoc modo *emetica* utilia ſunt, et per totum morbi decurſum conveniunt. Sed vomitio vehemens, vel nimis frequenter repetita, aegrum fatigat, et ventriculum debilem mobilemque reddit. Hinc emetica mitiora, praeſertim ipecacoanha, ſub forma vini ipecac. ph. Edinenſis, quippe vomitionem minima cum turba ciens, aliis praeferenda.

Quandocunque

Quandocunque nauſea vel ad vomendum proclivitas adſit, tunc emeticum ſummo cum fructu exhibetur.

Laxantia etiam aliquando bonos praeſtant effectus; nam quoniam abdominis intumeſcentia plerumque, ab affectione tympanitica inteſtinorum pendet, ad flatum expellendum, et fortaſſis ad derivationem ex viſceribus faciendam, plurimum conferunt. Sed quoniam cathartica magis quam emetica corpus convellunt, aegrique vires exhauriunt, ea ſemel tantum, vel iterum praecipienda eſſe *Sydenhamus* recte admonet. Rhabarbarum ſub forma tincturae rhei dulcis, propter virtutes ejus aſtringentes et amaras, aliis anteferri oportet.

Si aeger rhabarbarum faſtidiat, *enemata* ex lacte vel aqua calida ejus locum ſuppleant. Talia auxilia praecipue poſtulantur cum alvus adſtricta, et faeces induratae ſint, cum flatus inteſtina torqueant, aut quaevis inteſtinorum tormina aegrum affligant. Longo a paſtu intervallo tepida clyſmata ſuadet *Gliſſonius*.

Exercitatio, frictiones. Omnibus medicis, qui frequenter hunc morbum videre, cognitum quantum boni ab exercitatione et frictionibus, utpote abſorptionem expedientibus, ſperandum ſit. Quoniam vero ad exercitationem

geſtationis, ob vis muſcularis defectum, ſolummodo recurri poteſt, ſitu, quo oſſa adeo mollia parum detorqueantur, aegri recumbere deberent.

Hic loci notatu dignum, geſtationem, tum quod ad vehementiam tum quod ad durationem, aegroti viribus ſemper accommodandam eſſe, et ne ſudor copioſus eliciatur, ne fatigatio inducatur, cavendum eſt *.

Frictio non ſolum infirmioribus, ſed etiam iis, qui geſtationem vel alia exercitationis genera tolerare ſatis valent, apta eſſe videtur. Perficitur ipſa operatio aut manu calida, aut potius panno laneo imbuto vapore variorum aromatum, viz. Succini, Olibani, Benzoini, &c. quae ſtimulo leni frictionis virtutem adjuvent. *Van Swieten* ſuadet, ut abdomen mane ante jentaculum panno laneo, ut ſupra imbuto, perfricetur; ſed haec in abdomen, et in alias partes, ad levem uſque ruborem, neque amplius, protrahenda.

Ad corpus fricandum aliquando olea calida aromatica in uſu ſunt; et in Hebridibus partibuſque ſeptentrionalibus Scotiae, oleum rancidum ſcatinae (Anglicé *Thornback*)

* Vide Gregorii conſpect. med. theoret. 1108.

back) cum optimo ſucceſſu, ut videtur, uſurpatur. Hoc oleum ex hepate *Raiae*, ſeu *ſcatinae majoris communis*, paratur.

Initio admodum caute utendum eſt; portione enim minutiſſima adhibitum febrim excitat. Prima nocte cubiti carpique juncturas eo leviter inungunt, febris inſtanter oritur, quae per totam fere noctem perſtat. Omni nocte repetitur operatio, donec febris concitari nequeat. Tunc cubiti, carpi, genuaque fricantur; ita febris iterum movetur; ſed quarundam noctium ſpatio febris etiam ab hac unctione oriri recuſat. Tunc tota ſpina coſtaeque illinuntur, et ut antea agitur. Denique, lanea ſubucula oleo immerſa aeger circundatur, unde oritur vehementior febris, quae vix, donec dies pervenerit tertius, remittit; eadem ſubucula oleo imbuta uſque geſtanda donec ſicca fiat; et tunc temporis malum, ſi medicabile, profligatur. Haec operatio per hebdomadas aliquot continuatur. Quo morbus diuturnior, eo frequentius oleum exhibendum eſt; quo citius remedium applicatur, eo certius prodeſt. Medicus, ex cujus literis modus hoc oleum adminiſtrandi excerptus fuit, plurimos hoc remedio ſana-

nutricibus, quibus in eodem lecto cum infantibus cubare neceſſe eſt.

Nunc ad conſilium ſecundum pervenimus, ſcilicet,

2. Diatheſin leucophlegmaticam corrigere.

Huic conſilio medicamenta corroborantia et tonica apte reſpondent.

Inter corroborantia imprimis recenſenda eſt

Diaeta ſatis nutriens, ſed corpus minime gravans, reficiendo et alendo corpori apta, et concoctu facilis. Alimenta igitur aquoſa prohibenda ſunt, et loco eorum panis bene fermentatus, gratiſſimis additis aromaticis, quae majorem ſaporis gratiam concilient, et vires langueſcentes blando ſtimulo excitent.

Jura fortiora et condita prodeſſe videntur; juſcula vero aquoſa minus idonea ſunt.

Potus nimis aquoſus, vel nimia quantitate ſumptus, inter morbi cauſas antea enumeratus fuit. Cavendum igitur eſt, ne aeger nimis largiter bibat, ne potu nimis aquoſo, tenui, vel parum ſtimulante utatur. Vinum igitur Gallicum rubrum nempe, aliis praecellit; necnon vinum Hippocraticum dictum a Swietenio jure laudatur.

Cereviſiam

Cerevisiam fortem, tantopere a Boerhaavio commendatum, Cullenus illustrissimus parvi aestimat.

De *lactis* usu adhuc inter auctores lis est. Zeviani ex theoria fortassis lac repudiat. Benevoli autem et Cullenus id non omnino improbant. Quando autem signa rachitidis supervenerint, praesertim si dentitio tarde progrediatur, suadet Professor noster eruditus ut nutrix dimittatur, ex eo quod, lac bovinum, prae foeminino, nutrimentum valens praebere potest.

Vestimenta calida et bene exsiccata. Quot quantosque effectus corpori edat vestitus, neminem latet. Vestes calidae sanitatem corporis tuentur, corpus leniter stimulant, itaque sanguinis cursum versus cutem expediunt. Sed humidae et madifactae perspirationi obstant, itaque multum injuriae corpori efficiunt. Vestimenta igitur calida cauteque exsiccata eligi debent. Huic proposito inserviunt laneae vestes, quarum superficies asperior, corpori nudo applicata, omni motu corporis frictionem aliquam excitant.

Aër siccus corpus maxime roborat, exhalationem per cutem promovet, et animi hilaritatem, qua nihil ad vale-

tudinem

tudinem magis confert, conciliat. Si igitur aër frigidus humiduſque ſit, infans in coelum benignius transferatur; ſi autem, urgente paupertate, hoc fieri nequeat, praecipit Boerhaavius ut in elatiore aedium parte, cubiculoque bene tabulato, dormiret infans.

Balneum frigidum inter roborantia diaetae idoneae proximum locum tenet; et credidit Floyer † nonnullis in exemplis, nulli alii cauſae remotae, praeter balnei frigidi neglectum, rachitidem tribui potuiſſe. Meminit cel. Cullenus morem hac in regione infantes, paulo poſt partum aqua frigida lavandi diu obtinuiſſe, et dicit, ubicunque hic mos valebat, ſe nunquam exemplum rachitidis cognoviſſe. Experientia igitur longa edocuit, balneum frigidum in hoc morbo remedium eſſe potentiſſimum, et ſemper tentandum niſi aegroti vires valde frangantur. Tunc temporis lavatione frigida ſine immerſione uti, et poſtea infantem pannis ſiccis fricare, neceſſe erit. Si autem immerſionem tolerare poſſit aeger, ſemel et iterum aquae praeceps detur, ſed non diu ibi manere ſinatur. ‘ Nam ‘ ſic quicquid boni, a ſtimulo tanti frigoris ſperari poſſit, ‘ obtinebitur,

† In tractatu de ψυχρολουσια.

' obtinebitur, neque vis ejus ſedans atque infirmans cor-
' pori nocere poterit *.'

Poſt gelidam immerſionem corpus ſemper pannis ſiccis ſedulo perfricetur.

Medicamenta tonica ſunt, vel *vegetabilia* vel *foſſilia.*

Vegetabilia tonica, quae in hoc morbo uſurpantur, ſunt *amara*, *aromata*, et *cortex Peruv.*

Amara ſub forma cereviſiarum medicatarum, ut apud Van Swieten legimus, aliquando in uſu fuere; ſed adeo ſe ingrata habuere, ut infantibus nunquam copia ſatis ampla, ad aliquos bonos edendos effectus, propinari potuerunt.

Aromata, cibo, de quo jam ſatis dictum fuit, ſaepe nec ingrate adduntur.

Cortex Peruvianus, ob vires tonicas quibus inſigniter gaudet, remedium efficaciſſimum certe foret, ſed aeque ac amara, hic quoque ab infantibus repudiatur. Si lacte ebutyrato

* Gregor. conſpect. med. theoret.

ebutyrato commiſtus, vel ſub forma tincturae iis oblatus ſit, ſemel forſan vel iterum, ter quaterve raro eum ſumere allicientur.

Enemata Peruviana haud abſona videntur, et certe cortex in morbis a debilitate pendentibus, hoc modo in corpus immiſſus, commoda permagna aliquando ſecum adtulit. Nonnulli volunt eum corpori extrinſecus admoveri, et veriſimillimum eſt, corticem hoc modo exhibitum, auxilium poſſe adferre; febres enim intermittentes modo ſimili feliciter ſublatae fuere, ut medicus ingenioſus Samuel Pye teſtatur, qui quaedam induſia ex duplice lintea veſte fieri, et intra veſtem interiorem et exteriorem, corticis Peruviani ſubtiliſſime contriti aliquantum ſterni juſſit, et aegrum tali induſio indui praecipit. Hac arte multas febres intermittentes et remittentes ſuſtulit. Quocirca in rachitide, hujus methodi corticem exhibendi periculum facere, non abs re foret.

Ex *tonicis metallicis*, ferri et cupri praeparata praecipue in uſu ſunt.

Pleriſque in morbis, laxitati originem debentibus, ferrum optimos effectus edit, et in rachitide, experientia duce, ſummo cum fructu exhibetur. Hujuſce praeparatio, ens veneris ſcilicet, ſummis laudibus Boylei elata fuit,

qui

qui illam quasi e cupro compositam descripsit; et Benevoli, pariter quoad ejus compositionem hallucinans, in Italia maximo successu rachiticis administravit. Verba tamen Boylei ipsius, ubi de vitriolo, ad hoc medicamentum componendum praescripto, et de methodo entis veneris praeparandi, loquitur, idem esse ac flores martiales Ph. Edinens. monstrant. Medicamentum chalybeatum, exhibitioni accommodatius est tinctura martis Ph. Edin. doses hujusce remedii semper parvae, saepe in die repetitae, sint.

Cuprum, ex effectibus in aliis morbis, quoad vires tonicas, ferro fortassis antecellit. Quoniam nequidem adultis ejus administratio periculo vacat, et aegri sunt admodum teneri qui hoc morbo vexantur, cupri periculum summa cum cautela semper fieri debet.

Praeparationem mitissimam hujusce metalli, in cupro ammoniaco videre est.

Ad consilium medendi tertium nunc progredimur, scilicet,

3. Deformitates emendare.

Hoc praecipue chirurgorum est, et perficitur tales ma-

chinas ad extremitates ſuperiores et inferiores applicando, quales contra deformitatem agere poſſint; eodem tempore cavendum ne preſſura in aliquam partem nimia, inflammationem vel gangraenam inducat.

Si ſpina dorſi detorqueatur, huic obviam ire poſſumus, aegrum illa in corporis poſitione ſervando, quae curvaturae obſtet.

His cautelis memoria retentis et applicatis, aëre ſimul ſalubri, exercitatione et imprimis balneo frigido adhibitis, oſſa minus informia reddi poſſint. Sed, ſi morbus inveteratus fuerit, vel aegrum diu afflixerit, deformitas perſtat, et per vitam perſtabit.

FINI